

APPENDIX MISSARUM NOVARUM

QUÆ
POST EDITIONEM NOVI MISSALIS
EMANARUNT.

IN FESTO
SACROR. QUINTQUE VULNERUM
DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.
Quadam Feria sexta in Quadragesima celebratur.

Introitus.

Humiliavit semetipsum
Dominus Jesus Chri-
stus usque ad mortem,
mortem autem Crucis: pro-
pter quod & Deus exaltavit
illum, & donavit illi nomen,
quod est super omne no-
men.

Phil.
2.

Psal.
88.

Psal. Misericordias Do-
mini in æternum cantabo: in
generationem, & generatio-
nem.

Verf. Gloria Patri &c.
Dicitur Gloria in excelsis.

Oratio.

Deus, qui unigeniti Filii
tui passione, & per quin-
que vulnera ejus sanguinis ef-
fusione, humanam naturam
peccato perditam reparasti:
tribue nobis, quæsumus, ut

qui ab eo suscepta vulnera
veneramur in terris, ejusdem
pretiosissimi sanguinis fru-
ctum consequi mereamur in
caelis. Per Dominum.

Lectio Zachariæ Prophetæ.

Hæc dicit Dominus. Ef-
fundam super domum
David, & super omnes habi-
tatores Jerusalem, spiritum
gratiæ, & precum & aspi-
cient ad me, quem confixe-
runt: & plangent eum plan-
ctu quasi super unigenitum:
& dolebunt super eum, ut
doleri solet in morte primo-
geniti. In die illa magnus
erit planctus in Jerusalem, &
dicetur: Quid sunt plagæ istæ
in medio manuum tuarum?
Et dicetur: His plagatus sum
in domo eorum, qui dilige-

Zach.
12.

Cap.
13.b

bant me. Framea fuscitare super pastorem meum, & super virum coherentem mihi, dicit Dominus exercituum: Percute pastorem, & dispergentur oves: ait Dominus omnipotens.

Psal. **Graduale:** Improperium expectavit cor meum, & miseriam: & sustinui, qui simul mecum contristaretur, & non fuit: consolantem me quæsi, & non inveni.

Verf. Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto.

Ira. **Tractus.** Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit. **Verf.** Et nos putavimus eum quasi leprosum, & percussum a Deo, & humiliatum. **Verf.** Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. **Verf.** Disciplina pacis nostræ super eum: & livore ejus sanati sumus.

In Missis votivis a Festo SS. Trinitatis usque ad Septuagesimam omittitur Tractus, & ejus loco dicitur: Alleluja, Alleluja.

Verf. Ave Rex noster: tu solus nostros es misertus errores: Patri obediens, ductus es ad crucifigendum, ut

agnus mansuetus ad occisionem, Alleluja.

Tempore autem Paschali in Missis votivis omittitur Grad. & Tractus, & eorundem loco dicitur. Alleluja. Alleluja.

Verf. Ave Rex noster: tu solus nostros es misertus errores: Patri obediens, ductus es ad crucifigendum, ut agnus ad occisionem. Allel.

Verf. Tibi gloria, hosanna: tibi triumphus, & victoria: tibi summæ laudis, & honoris corona. Allel.

✠ **Sequentia Sancti Evangelii secundum Joannem.**

In illo tempore: sciens Jesus, quia jam omnia consummata sunt, ut consummaretur scriptura, dixit: Sitio. Vas ergo positum erat aceto plenum. Illi autem spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes, obtulerunt ori ejus. Cum ergo accepisset Jesus acetum, dixit: Consummatum est. Et inclinato capite, tradidit spiritum. Judæi ergo (quoniam parasceve erat) ut non remaneret in cruce corpora sabbato (erat enim magnus dies ille sabbati) rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura, & tollerentur. Venerunt ergo milites: & primi

quidem

quidem fregerunt crura, & alterius, qui crucifixus est cum eo. Ad Jesum autem cum venissent, ut viderent eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura: sed unus militum lancea latusejus aperuit, & continuo exivit sanguis, & aqua. Et qui vidit, testimonium perhibuit: & verum est testimonium ejus.

Dicitur Credo.

Offertorium. Insurrexerunt in me viri iniqui: absque misericordia quæsierunt me interficere: & non pepercerunt in faciem meam sperere: lanceis suis vulneraverunt me, & concussa sunt omnia ossa mea.

Secreta.

Majestati tuæ, quæsumus Domine, accepta sint dona, in quibus ipsa Unige-

niti tui vulnera tibi offerimus, nostræ pretia libertatis. Per eundem.

Præfatio de Cruce. Qui salutem humani generis.

Communio. Foderunt manus meas, & pedes meos: dinumeraverunt omnia ossa mea.

Postcommunio.

Refecti vitalibus alimoniis quæsumus Domine Deus noster: ut qui vulnera Domini nostri Jesu Christi hodie devote colimus, hæc in nostris cordibus impressa, moribus, & vita teneamus. Per eundem.

In Missis tam festivis, quam votivis adhibeatur color rubeus; in votivis autem, omittatur Hodie in Postcommunione.

I N F E S T O

PRETIOSISSIMI SANGVINIS

D. N. JESU CHRISTI.

Introitus.

Redemisti nos Domine, in sanguine tuo ex omni Tribu, & Lingua, & Populo, & Natione: & fecisti nos Deo nostro Regnum.

Psal. 88. Misericordias Domini in æternum cantabo: in generationem, & generationem annuntiabo veritatem tuam in ore meo.

Verf. Gloria Patri, & Filio, &c.

A 2

Ora-

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui Unigenitum Filium tuum mundi Redemptorem constituisti; ac ejus sanguine placari voluisti: concede, quæsumus, salutis nostræ pretium solemnī cultu ita venerari, atque a præsentis vitæ malis, ejus virtute defendi in terris, ut fructu perpetuo lætemur in Cælis. Qui tecum vivit & regnat.

Et fit Commemoratio Feriæ.

Hebr. 9.
Lectio Epistolæ beati Pauli ad Hebræos.

Fratres, Christus assistens Pontifex futurorum bonorum per amplius & perfectius tabernaculum non manufactum; id est, non hujus creationis, neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æterna Redemptione inventa. Si enim sanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: Quanto magis Sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi?

Et ideo novi testamenti mediator est; ut, morte intercedente in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant sub priori testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt, æternæ hæreditatis, in Christo Jesu Domino nostro.

Graduale. Hic est, qui venit per aquam, & sanguinem Jesus Christus: Non in aqua solum, sed in aqua & sanguine. **Verf.** Tres sunt, qui testimonium dant in Cælo: Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus: & hi tres unum sunt. Et tres sunt, qui testimonium dant in terra, Spiritus, aqua, & sanguis, & hi tres unum sunt.

Tractus. Gratificavit nos Deus in dilecto Filio suo, in quo habemus Redemptionem per Sanguinem ejus.

Verf. Remissionem peccatorum, secundum divitias gratiæ ejus, quæ superabundavit in nobis.

Verf. Justificati gratis per gratiam ipsius, per Redemptionem, quæ est in Christo Jesu.

Verf. Quem proposuit Deus, propitiationem per fidem in sanguine ipsius.

Tempore Paschali, & in Missis votivis dicitur Alleluja,

Alle-

Alleluja. **Verf.** Dignus es, Domine, accipere librum, & aperire signacula ejus, quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in Sanguine tuo. Alleluja.

Verf. Erit autem sanguis vobis in signum, & videbo sanguinem, & transibo vos: Nec erit in vobis plaga disperdens. Alleluja.

In Missis votivis per annum dicitur sequens Graduale. Hic est, qui venit per aquam, & Sanguinem Jesus Christus: Non in aqua solum, sed in aqua & sanguine.

Verf. Tres sunt, qui testimonium dant in Cælo: Pater, Verbum & Spiritus sanctus: & hi tres unum sunt. Et tres sunt, qui testimonium dant in terra, Spiritus, aqua, & sanguis, & hi tres unum sunt. Alleluja, Alleluja.

Verf. Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est. Allel.

Joan. 19.
† Sequentia S. Evangelii Secundum Joannem.

In illo tempore: Cum accepisset Jesus acetum, dixit: Consummatum est. Et inclinato capite tradidit Spiritum. Judæi ergo (quoniam Parasceve erat,) ut non remanerent in cruce corpora Sab-

bato (erat enim magnus dies ille Sabbati) rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura, & tollerentur. Venierunt ergo milites, & primi quidem fregerunt crura, & alterius, qui crucifixus est cum eo: ad Jesum autem cum venissent, ut viderent eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura; sed unus militum lancea latuse ejus aperuit, & continuo exivit sanguis & aqua. Et qui vidit, testimonium perhibuit, & verum est testimonium ejus.

Dicitur Credo.

Offertorium. Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Christi est? Et panis, quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est?

Secreta. Per hæc divina mysteria ad novi, quæsumus, testamenti mediatorem Jesum accedamus, & super Altaria tua, Domine virtutum, asperisionem Sanguinis, melius loquentem quam Abel, innovemus. Per eundem Dominum nostrum.

Et fit commemoratio feriæ currentis.

Præfatio de Cruce.

Communio. Christus semel oblatus est ad multorum

B

exhau-

exhaurienda peccata: Secundo sine peccato apparebit omnibus expectantibus, in salutem.

Postcommunio. Ad facram, Domine, mensam admitti, haufimus aquas in gaudio de fontibus Salvatoris:

Sanguis ejus fiat nobis, quæsumus fons aquæ in vitam æternam, salientis. Qui tecum vivit & regnat, in unitate &c.

Et fit commemoratio Ferie currentis, & in fine Missæ legitur Evang. ejusdem.

PRO FESTO

SEPTEM DOLORUM

Dom. III. Septembr. incidente.

ORATIO.

Deus in cujus passione, secundum Simeonis prophetiam, dulcissimam animam gloriosæ Virginis & Matris Mariæ doloris gladius pertransivit: concede propitius; ut qui dolores ejus venerando recolimus, passionis tuæ effectum felicem consequamur. Qui vivis & regnas.

IN FESTO

SACRÆ SPINEÆ CORONÆ

D. N. JESU CHRISTI.

Feria secunda post Dominicam Passionis.

Introitus.

Humiliavit semetipsum Dominus Jesus Christus usque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod, & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen.

Psal. Misericordias Domini in æternum cantabo: in

generationem, & generationem.

Verf. Gloria Patri. Humiliavit.

Dicitur Gloria in excelsis.

Oratio.

Deus, qui Unigenitum tuum in passione sua spinea corona decorari, & Regem adorari voluisti; da no-

bis,

bis, quæsumus, ob piam venerationem sacræ illius spineæ coronæ in cœlesti ejus regno coronam gloriæ suæ, & æterni Regis Majestatem perpetuo contemplari. Per Eundem.

Lectio Libri Sapientiæ.

Lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi, uniuscujusque ensis super femur suum propter timores nocturnos. Perculum fecit sibi Rex Salomon de lignis libani: Columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum: media charitate constravit propter filias Jerusalem. Egredimini, & videte filia Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua in die Desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis ejus.

Graduale. Improperium expectavit cor meum, & miseriam, & sustinui; qui simul mecum contristaretur, & non fuit: & consolantem me quæsi, & non inveni.

Verf. Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto.

Tractus. Vere languores

nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit.

Verf. Et nos putavimus eum quasi leprosum & percussum a Deo, & humiliatum.

Verf. Ipse autem vulneratus est propter scelera nostra.

Verf. Disciplina pacis super eum, & livore ejus sanati sumus.

† Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem.

In illo tempore: apprehendit Pilatus Jesum, & flagellavit, & milites plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti ejus: & veste purpurea circumdederunt eum. Et veniebant ad eum, & dicebant: Ave Rex Judæorum, & dabant ei alapas. Exivit ergo iterum Pilatus foras, & dixit eis: ecce! adduco eum vobis foras, ut cognoscatis, quia nullam invenio in eo causam. Exivit ergo Jesus portans coronam spineam, & purpureum vestimentum.

Dicitur Credo.

Offertorium. Insurrexerunt viri iniqui: absque misericordia quæsierunt me interficere: & non pepercuerunt in faciem meam spuerunt lanceis suis vulneraverunt

B 2

me,

me, & concussa sunt omnia ossa mea.

Secreta.

Tuorum militum, Rex omnipotens, virtutem corrobora: ut, quos in hujus mortalitatis stadio Unigeniti Filii corona lætificat, consummato cursu certaminis, immortalitatis per hæc, quæ offerimus, bravium apprehendat. Per Eundem.

Præfatio de Cruce. Qui salutem humani generis.

Communio. Foderunt manus meas, & pedes meos: dinumeraverunt omnia ossa mea.

Postcommunio.

Supplices te rogamus, omnipotens Deus, ut hæc Sacramenta, quæ sumpsimus, per sacrosanctam Filii tui coronam, cujus solemniam re- censemus, ad virtutem nobis proficiant, & Salutem. Per Eundem.

IN F E S T O

**SANCTISSIMI SEPULCHRI
HIEROSOLYMITANI**

DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

Dominica secunda post Pascha.

Introitus.

Isaie
11.

In die illa erit radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur, Alleluja, Alleluja.

Psal.
45.

Psal. Fluminis impetus, lætificat Civitatem Dei, sanctificavit Tabernaculum suum Altissimus. Gloria Patri & Filio &c.

Oratio.

Domine Jesu Christe, qui pro nobis mortem sub-

ire, & in sepulchro depositus tertia die resurgere voluisti; concede famulis tuis: ut qui sepulchri tui memoriam recolimus, Resurrectionis quoque gloriæ participes esse mereamur. Qui vivis & regnas &c.

Et fit commemoratio Dominicæ secundæ post Pascha, si celebretur in eadem.

Lect. Actuum Apostolor.

In diebus illis: surgens Paulus, & manu silentium

indi-

Act.
c. 13

indicens ait: Viri fratres, filii generis Abraham, & qui in vobis timent Deum, vobis verbum salutis hujus missum est. Qui enim habitabant Jerusalem & principes ejus, ignorantes Jesum & voces Prophetarum, quæ per omne Sabbatum leguntur, judicantes impleverunt: & nullam causam mortis inveni- entes in eo, petierunt a Pilato, ut interficerent eum. Cumque consummassent omnia, quæ de eo scripta erant, deponentes eum de ligno, posuerunt eum in monumento. Deus vero suscitavit eum a mortuis tertia die: qui visus est per multos dies his, qui simul ascenderant cum eo de Galilæa in Jerusalem: qui usque nunc sunt testes ejus ad plebem.

Job.
3.

Graduale. Alleluja, Alleluja. Qui expectant mortem & non venit, quasi effodientes thesaurum, gaudentque vehementer, cum invenerint Sepulchrum, Alleluja.

Joan.
20.

Verf. Currebant duo simul, & ille alius Discipulus præcucurrit citius Petro, & venit prior ad monumentum, Alleluja.

† Sequentia S. Evangelii secundum Lucam.

Luc.
24.

Una Sabbati valde diluculo, venerunt mulieres ad monumentum, portantes quæ paraverant aromata, & invenerunt lapidem revolutum a monumento, & ingressæ non invenerunt Corpus Domini Jesu. Et factum est, dum mente consternatæ essent de isto, ecce duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti. Cum timerent autem & declinarent vultum in terram, dixerunt ad illas: Quid quæritis? Viventem cum mortuis? Non est hic, sed surrexit. Recordamini qualiter locutus est vobis, cum adhuc in Galilæa esset, dicens: Quia oportet Filium hominis tradi in manus hominum peccatorum & crucifigi & die tertia resurgere. Et recordatæ sunt verborum ejus, & regressæ a monumento, nuntiaverunt hæc omnia illis undecim, & cæteris omnibus. Erat autem Maria Magdalene, & Johanna, & Maria Jacobi, & cæteræ, quæ cum eis erant, quæ dicebant ad Apostolos hæc: Et visa sunt ante illos sicut deliramentum verba ista, & non crediderunt illis. Petrus

C

autem

autem surgens, cucurrit ad monumentum, & procumbens vidit linteamina sola posita, & abiit secum mirans, quod factum fuerat.

Dicitur Credo.

Psal. 41.

Offertorium. Transibo in locum Tabernaculi admirabilis usque ad Domum DEI. Alleluja.

Secreta. Deus, qui per depositionem sanctissimi Corporis Filii tui in Sepulchro, idem Sepulchrum sanctificasti, concede quaesumus, ut in hoc Sepulchro, anima & corde habitemus. Per eundem Dominum nostrum &c.

Et fit Commemoratio de Dominica.

Præfatio de Resurrectione.

Te quidem Domine omni tempore.

Sap. 9.

Communio. Beatus, qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & observat ad postes ostii mei. Alleluja.

Postcommunio.

Deus, qui nos sancti Sepulchri Filii tui lætari facis honore; præsta quaesumus: ut in eodem sepulti, mundo moriamur, & Tibi soli vivamus. Per eundem Dominum nostrum &c.

Dein fit Commemoratio de Dominica & in fine Missæ Evangelium de eadem.

Die XVI. Maji.

IN FESTO

S. JOANNIS NEPOMUCENI MARTYRIS.

Introitus.

Ecc. 51. 30.

Dedit mihi Dominus linguam mercedem meam: & in ipsa laudabo eum. Alleluja, Alleluja.

C. 38 v. 1.

Psal. Dixi: Custodiam vias meas: ut non delinquam in lingua mea. Gloria Patri &c. Dedit &c.

Oratio.

Deus, qui ob invictum Beati Joannis sacramentale silentium nova Ecclesiam tuam Martyrii corona decorasti; da nobis ejus intercessione, & exemplo, linguam caute custodire, ac omnia potius mala, quam animæ detrimentum, in hoc seculo

tolera-

tolerare. Per Dominum nostrum &c.

Lectio Libri Sapientiae.

C. 21 v. 26.

Stultus a fenestra respiciet in domum: vir autem eruditus foris stabit. Stultitia hominis auscultare per ostium: & prudens gravabitur contumelia. Labia imprudentium stulta narabunt: verba autem prudentium statera ponderabuntur. In ore fatuorum cor illorum; & in corde sapientium os illorum. Dum maledicit impius diabolum, maledicit ipse animam suam. Sufurro coinquinabit animam suam, & in omnibus odietur; & qui cum eo manserit, odiosus erit: tacitus & sensatus honorabitur.

Tempore Paschali.

Alleluja, Alleluja. **Verf.**

Ecc. 25. 11.

Beatus, qui lingua sua non est lapsus, & qui non servivit indignis se. Alleluja.

Prov. 10. 31. & 12. 13.

Verf. Lingua pravorum peribit. Lingua autem sapientium & sanitas. Alleluja.

Extra Tempus Paschale.

Prov. 1. 13.

Graduale. Qui ambulat fraudulentem, revelat arcana: qui autem fidelis est animi, celat.

Psal. 14. 1.

Verf. Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut

quis requiescet in monte sancto tuo? Qui non egit dolum in lingua sua, nec fecit proximo suo malum. Alleluja, Alleluja.

Ecc. 25. 11.

Verf. Beatus, qui lingua sua non est lapsus, & qui non servivit indignis se. Alleluja.

Post Septuagesimam.

Omissio Alleluja, & ultimo versu, dicitur tractus.

Jac. 1. 26.

Si quis putat, se religiosum esse, non refrænans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio.

Ib. 3. 2.

Verf. Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir.

Ib. 3. 7.

Verf. Omnis enim natura bestiarum domantur, & domita sunt a natura humana: linguam autem nullus hominum domare potest.

† Sequentia S. Evangelii secundum Matthæum.

C. 11 v. 2.

In illo tempore: Cum audisset Joannes in vinculis opera Christi, mittens duos ex Discipulis suis, ait illi: Tu es, qui venturus es, an alium exspectamus? Et respondens Jesus ait illis: Euntes renuntiate Joanni quæ audistis & vidistis. Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur: & beatus, qui

C 2

non

non fuerit scandalizatus in me. Illis autem abeuntibus, cepit Iesus dicere ad turbas de Joanne: Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam? Sed quid existis videre? hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt. Sed quid exitis videre? Prophetam? etiam dico vobis, & plus quam Prophetam. Hic est enim, de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui prae-paravit viam tuam ante te.

Ecc. 42. 1.

Offertorium. Non duplex sermonem de revelatione sermonis absconditi; & eris vere sine confusione: & invenies gratiam in conspectu

omnium hominum. Alleluja, Alleluja.

Secreta. Haec tua, Domine, sacra Mysteria illum in nobis quaesumus ignem accendant, quo inclytus Martyr, & Sacerdos tuus Joannes, ea peragendo, flagrabat. Per Dominum nostrum &c.

Communio. Volavit ad me unus de Seraphim; & in manu ejus calculus, quem tulerat de altari: & tetigit os meum. Alleluja. Allel.

Postcommunio. Fragilitatem nostram, Domine, coelestis haec mensa fortium pane confirmet; qui Beati Martyris & Sacerdotis tui Joannis tentatam contra honorem Sacramenti constantiam jugiter aluit ad victoriam. Per Dominum &c.

Feria Sexta post Octavam Corporis Christi.

IN F E S T O

SANCTISSIMI CORDIS JESU.

INTROITUS. Hierem. in Thr. c. 3.

Miserebitur secundum multitudinem miserationum suarum; non enim humiliavit ex Corde suo, & abjecit Filios hominum: bonus est Dominus

sperantibus in Eum, animae quaerenti illum. Alleluja, Alleluja.

Psal. 88. Misericordias Domini in aeternum cantabo: in generationem, & generationem. Gloria Patri. Miserebitur.

ORA-

ORATIO.

Concede quaesumus, omnipotens Deus, ut qui in sanctissimo dilecti Filii tui Corde gloriantes, praecipua in nos Charitatis ejus beneficia recolimus: Eorum pariter & actu delectemur, & fructu. Per eundem Dominum nostrum.

Lectio Isaiae Prophetae.

Confitebor Tibi Domine; quoniam iratus es mihi: Conversus est furor tuus, & consolatus es me. Ecce Deus Salvator meus, fiducia-liter agam, & non timebo; quia fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. Et dicetis in illa die: Confitemini Domino, & invocate nomen Ejus, mementote quoniam excelsum est nomen Ejus. Cantate Domino, quoniam magnifice fecit, annunciate hoc in universa terra. Exulta, & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio Tui Sanctus Israel.

Graduale. Jerem. Thren. cap. 1. O vos omnes, qui transitis per viam attendite, & videte, si est dolor sicut dolor meus. **Verf.** Cum di-

lexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Alleluja, Alleluja.

Verf. Matthaei 11. 29. Discite a Me, quia mitis sum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris, Alleluja.

† Sequentia S. Evangelii secundum Joannem. Joan 19. 31.

In illo tempore Judaei, quoniam Parascève erat, ut non remaneret in Cruce corpora Sabbato (erat enim magnus dies ille Sabbati) rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura, & tolerentur. Venerunt ergo milites, & primi quidem fregerunt crura, & alterius qui crucifixus est cum Eo. Ad Iesum autem cum venissent, ut viderunt Eum jam mortuum, non fregerunt Eius crura: sed unus militum lancea latusejus aperuit, & continuo exivit sanguis, & aqua: Et qui vidit testimonium perhibuit, & verum est testimonium ejus.

Dicitur Credo.

Offertorium. Pl. 102. Benedic anima mea Domino, & noli oblivisci omnes retributiones ejus, qui replet in bonis desiderium tuum. Alleluja.

D

Secre-



Secreta.

Tuere nos, Domine, tua Tibi Holocausta offerentes; ad quæ ut ferventius corda nostra præparentur, flammis adure Tuæ divinæ Charitatis. Qui vivis & regnas.

Præfatio de Passione.

Communio. Pl. 68. Improprium expectavit Cor meum, & miseriam, & sustinui qui simul contristaretur,

& non fuit; & qui consolaretur, & non inveni. Alleluja.

Postcommunio.

Pacificis pasti deliciis, & salutaribus Sacramentis, Te supplices exoramus, Domine Deus noster, ut qui mitis es, & humilis corde, nos a vitiorum omnium labe purgatos, propensius facias a superbis sæculi vanitatibus abhorre. Qui vivis & regnas.

Die XIX. Junii.

IN FESTO

S. JULIANÆ DE FALCONERIIS VIRGINIS.

Missa: Dilexisti ex Comuni Virginum.

ORATIO.

Deus, qui beatam Julianam Virginem tuam extremo morbo laborantem pretioso Filii tui Corpore mi-

rabiliter recreare dignatus es. Concede quæsumus; ut, ejus intercedentibus meritis, nos quoque eodem in mortis agone resecti, ac roborati ad cœlestem patriam perducamur. Per eundem Dominum nostrum.

Die XXI. Junii.

IN FESTO

S. ALOYSII GONZAGÆ

Introitus. Pl. 8, 6.

Minuisti eum paulo minus ab Angelis: gloria, & honore corona-

sti eum. **Pl. 148, 2.** Laudate Dominum omnes Angeli ejus: laudate eum omnes virtutes ejus. Gloria Patri, &c.

ORA.

ORATIO.

Cœlestium donorum distributor Deus, qui in Angelico juvene Aloysio miram vitæ innocentiam pariter cum pœnitentia sociasti; ejus meritis, & precibus concede, ut innocentem non secuti, pœnitentem imitemur: Per Dominum, &c.

Lectio Libri Sapientiæ.

Beatu vir, qui inventus est sine macula: & qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia, & thesauris. Quis est hic, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua. Qui probatus est in illo, & perfectus est; erit illi gloria æterna. Qui potuit transgredi, & non est transgressus; tacere mala, & non fecit: ideo stabilita sunt bona illius in Domino.

Graduale. Pl. 70, 5. Domine spes mea a juventute mea: in te confirmatus sum ex utero; de ventre matris meæ tu es Protector meus. **Verf. Pl. 40, 13.** Me autem propter innocentiam suscepisti, & confirmasti me in conspectu tuo in æternum. Alleluja, Alleluja. **v. Pl. 65, 5.**

Beatus, quem elegisti, & assumpsisti: inhabitabit in atriis tuis Alleluja.

† Sequentia S. Evangelii secundum Matthæum.

In illo tempore, respondens JESUS, ait Sadducæis: Erratis, nescientes scripturas, neque virtutem DEI. In resurrectione enim neque nubent, neque nubentur; sed erunt sicut Angeli DEI in cœlo. De resurrectione autem mortuorum non legistis, quod dictum est a Deo dicente vobis: Ego sum DEUS Abraham, & DEUS Isaac, & DEUS Jacob? Non est Deus mortuorum, sed viventium. Et audientes turbæ mirabantur in doctrina ejus, Pharisei autem audientes, quod silentium imposuisset Sadducæis, convenerunt in unum; & interrogavit eum unus ex eis legis Doctor, tentans eum: Magister, quod est mandatum magnum in lege? Ait illi JESUS: Diliges Dominum DEum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est maximum, & primum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut te ipsum. In his duobus mandatis universa lex pendet, & Prophetæ.

Matt.
22.
29.

D 2

Offertorium. Pl. 23. 3. Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus, & mundo corde.

Secreta.

Celesti convivio fac nos, Domine, nuptiali veste indutos accumbere; quam B. Aloysii pia præparatio, & juges lacrymæ inestimabilibus ornabant margaritis: Per Dominum nostrum, &c.

Communio. Psal. 77. 25. Panem cæli dedit eis: Panem Angelorum manducavit homo.

Postcommunio.

Angelorum esca nutritos Angelicis etiam, Domine, da moribus vivere; & ejus, quem hodie colimus, exemplo in gratiarum semper actione manere: Per Dominum nostrum JESUM Christum &c.

Die XIX. Julii.

IN FESTO

S. VINCENTII a PAULO
CONFESSORIS.


Missæ. Os just. de Comuni Confess. non Pont. seu ut pridie in festo S. Ceslai.

ORATIO.

DEus, qui ad evangelizandum pauperibus, & Ecclesiastici Ordinis decorem promovendum, beatum Vincentium Apostolica vir-

tute roborasti: præsta quæsumus; ut, cujus pia merita veneramur, virtutum quoque instruamur exemplis. Per Dominum.

Evangelium: Designavit Dominus, **ut in Comuni Evangelistarum. seu ut in festo S. Ceslai.**



Die

Die XXI. Julii.

IN FESTO

S. HIERONYMI ÆMILIANI
CONFESSORIS.

Introitus. Jerem. thr. 2. 11.

Effusum est in terra jecur meum super contritione filie populi mei, cum deficeret parvulus, & lactens in plateis oppidi.

Psal. 112. Laudate pueri Dominum: laudate nomen Domini. Gloria Patri &c. Effusum est &c. Gloria in excelsis &c.

OREMUS.

Deus, misericordiarum Pater, per merita, & intercessionem Beati Hieronymi, quem Orphanis adiutorem, & patrem esse voluisti: concede, ut spiritum adoptionis, quo filii tui nominamur, & sumus, fideliter custodiamus. Per Dominum &c.

Lectio Isaie Proph. **c. 58. v. 7.**

Frange esurienti panem tuum, & egenos, vagosque induc in domum tuam: cum videris nudum, operie eum, & carnem tuam ne despexeris. Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, & sanitas tuacitius orietur, & anteibit fa-

ciem tuam justitia tua, & gloria Domini colliget te. Tunc invocabis, & Dominus exaudiet: clamabis, & dices: Ecce adsum; si abstuleris de medio tui catenam, & desieris extendere digitum, & loqui quod non prodest. Cum effuderis esurienti animam tuam, & animam afflictam repleveris, orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt sicut meridies. Et requiem tibi dabit Dominus semper, & implebit splendoribus animam tuam, & ossa tua liberabit, & eris quasi hortus irriguus, & sicut fons aquarum, cujus non deficient aquæ.

Graduale. Prov. 5. v. 16.

Deriventur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas divide.

Verf. Psal. 112. Jucundus homo, qui miseretur, & commodat: disponet sermones suos in judicio, quia in æternum non commovebitur. Alleluja, Alleluja.

Disperfit, dedit pauperi-

E

bus,

bus, justitia ejus manet in sæculum sæculi. Alleluja.

Post Septuag. omittis alleluja, & Vers. sequenti dicitur.

Tractus. Job. 31. v. 16. &c. Si negavi, quod volebant, pauperibus, & oculos viduæ expectare feci.

Vers. Si comedi bucellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea.

Vers. Quia ab infantia crevit mecum miseratio, & de utero matris meæ egressa est mecum.

Tempore Paschali in Missis votivis omittitur Graduale, & ejus loco dicitur. Alleluja, Alleluja.

Psal. III. Disperfit, dedit pauperibus: justitia ejus manet in sæculum sæculi. Allel.

Vers. Psal. 83. Elegi abjectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum. Alleluja.

† **Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum.**

Cap. 19. v. 13.

In illo tempore oblatis sunt ei parvuli, ut manus eis imponeret, & oraret. Discipuli autem increpabant eos. Jesus vero ait eis: Sinite parvulos, & nolite eos prohibere ad me venire: talium est enim

regnum cœlorum. Et cum imposuisset eis manus, abiit inde. Et ecce unus accedens, ait illi: Magister bone, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam? Qui dixit ei: Quid me interrogas de bono? Unus est bonus, Deus. Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata: Dicit illi: Quæ? Jesus autem dixit: Non homicidium facies: non adulterabis: non facies furum: non falsum testimonium dices: Honora patrem tuum, & matrem tuam: & diliges proximum tuum sicut te ipsum. Dicit illi adolescens: Omnia hæc custodivi a juventute mea, quid adhuc mihi deest? Ait illi Jesus: Si vis perfectus esse, vade, vende, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo: & veni, sequere me.

Offertorium. Tobia 12. Quando orabas cum lacrymis, & sepeliebas mortuos, & dereliquebas prandium tuum, & mortuos abscondebas per diem in domo tua, & nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino.

Secreta. Clementissime Deus, qui veteri homine con-

in

in B. Hieronymo creare dignatus es: Da per merita ipsius, ut nos pariter renovati hanc placationis hostiam in odorem tibi suavissimum offeramus. Per Dominum nostrum &c.

Communio. Jac. I. v. 27. Religio munda, & immaculata apud Deum, & Patrem hæc est: Visitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc sæculo.

Postcommunio.

Angelorum panes refectite, Domine, suppliciter deprecamur; ut qui annuam B. Hieronymi Confessoris tui memoriam celebrare gaudemus, ejusdem etiam & exemplum imitemur, & amplissimum in regno tuo præmium obtinere valeamus. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat, in unitate &c.

Die XXIV. Julii.

IN FESTO

SANCTI CAMILLI
CONFESSORIS NON PONTIFICIS.

Missa. Os Justi: ut in Ordinario de Comuni Confessoris non Pontificis.

ORATIO.

Deus, qui beatum Camillum, ad animarum in extremo agone luctantium subsidium, singulari charitatis prærogativa decorasti: ejus quæsumus, meritis, Spi-

ritum nobis tuæ dilectionis infunde; ut in hora exitus nostri hostem vincere, & ad cœlestem mereamur coronam pervenire. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.



E 2

Die

Die XXI. Augusti.

IN FESTO

**S. JOHANNÆ FRANCISCÆ
FREMIOT de CHANTAL,**

Ordinis Sanctimonialium Visitationis
S. MARIE Fundatricis.

Introitus. Psalm. 118.

Cognovi Domine, quia æ-
quitas judicia tua, & in
veritate tua humiliasti
me: confige timore tuo car-
nes meas: a mandatis tuis ti-
mui. **Psal. ibid.** Beati im-
maculati in via, qui ambulant
in lege Domini. **Verf.** Gloria
Patri &c.

OREMUS.

Omnipotens & misericors
DEus, qui beatam Jo-
hannam Franciscam tuo a-
more succensam admirabili
Spiritus fortitudine per om-
nes vitæ semitas in via perfe-
ctionis donasti; quique per
illam illustrare Ecclesiam tu-
am nova prole voluisti: ejus
meritis & precibus concede,
ut qui infirmitatis nostræ
conscii de tua virtute confi-
dimus, cœlestis gratiæ auxi-
lio, cuncta nobis adversantia
vincamus. Per Dominum JE-
sum Christum
Filium tuum, &c.

Lectio Libri Sapientiæ.

Prov. 31. c.

Mulierem fortem quis in-
veniet? procul, & de
ultimis finibus pretium ejus.
Confidit in ea cor viri sui, &
spoliis non indigebit. Red-
det ei bonum, & non malum
omnibus diebus vitæ suæ.
Quæsit lanam, & linum, &
operata est consilio manuum
suarum. Facta est quasi na-
vis institoris, de longe por-
tans panem suum. Et de no-
cte surrexit, deditque præ-
dam domesticis suis, & ciba-
ria ancillis suis. Consideravit
agrum, & emit eum: de fru-
ctu manuum suarum planta-
vit vineam. Accinxit forti-
tudine lumbos suos, & robo-
ravit brachium suum. Gu-
stavit, & vidit, quia bona est
negotiatio ejus: non extin-
guetur in nocte lucerna ejus.
Manum suam misit ad fortia,
& digiti ejus apprehenderunt
fusum. Manum suam ape-
ruit inopi, & palmas suas ex-
tendit ad pauperem. Non

timebit

timebit domui suæ a frigori-
bus nivis: omnes enim do-
mestici ejus vestiti sunt du-
plicibus. Stragulatam ve-
stem fecit sibi: byssus, &
purpura indumentum ejus.
Nobilis in portis vir ejus:
quando sederit cum senatori-
bus terræ, Sindonem fecit, &
vendidit, & cingulum tradi-
dit Chananæo. Fortitudo, &
decor indumentum ejus, &
ridebit in die novissimo. Os
suum aperuit sapientiæ, &
lex clementiæ in lingua ejus.
Consideravit semitas domus
suæ, & panem otiosa non
comedit. Surrexerunt filii
ejus, & beatissimam prædi-
caverunt; vir ejus, & lauda-
vit eam. Multæ filiæ con-
gregaverunt divitias, tu su-
pergressa es universas. Fal-
lax gratia, & vana est pul-
chritudo: mulier timens Do-
minum, ipsa laudabitur. Da-
te ei de fructu manuum sua-
rum: & laudent eam in por-
tis opera ejus.

Graduale. Ps. 44. Diffu-
sa est gratia in labiis tuis:
propterea benedixit te Deus
in æternum.

Verf. Propter veritatem,
& mansuetudinem, & justi-
tiam: & deducet te mirabi-
liter dextera tua.

Alleluja, Alleluja.

Verf. Specie tua, & pul-
chritudine tua intende, pro-
spere procede, & regna. Al-
leluja.

† Sequentia S. Evangelii se-
cundum Matthæum.

In illo tempore: Dixit JE-
sus Discipulis suis parabo-
lam hanc: Simile est Re-
gnum Cœlorum thesauro
abscondito in agro: quem
qui invenit homo abscondit,
& præ gaudio illius vadit, &
vendit universa quæ habet,
& emit agrum illum. Iterum
simile est regnum Cœlorum
homini negotiatori quærenti
bonas margaritas. Inventa
autem una pretiosa margari-
ta abiit, & vendidit omnia,
quæ habuit, & emit eam.
Iterum simile est regnum
Cœlorum sagenæ missæ in
mare, & ex omni genere pis-
cium congreganti. Quam,
cum impleta esset; educen-
tes, & secus littus sedentes,
elegerunt bonos in vasa, ma-
los autem foras miserunt.
Sic erit in consummatione
sæculi: exhibunt Angeli, &
separabunt malos de medio
justorum, & mittent eos in
caminum ignis, ibi erit fle-
tus, & stridor dentium. In-
tellexistis hæc omnia? Di-
cunt ei: Etiam. Ait illis:

F

Ideo

Ideo omnis scriba doctus in regno cœlorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova & vetera.

Offertorium. Ps. 44. Diffusa est gratia in labiis tuis: propterea benedixit te Deus in æternum, & in sæculum sæculi.

SECRETA.

Illo nos amoris igne, quæsumus Domine, hæc hostia salutaris inflammet, quo Beatæ Johannæ Franciscæ cor vehementer incendit, & flammis aduffit æternæ cha-

ritatis. Per Dominum nostrum &c.

Communio. ibid. Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis.

Postcommunio.

Spiritum nobis Domine tuæ charitatis infunde, ut, quos cœlestis panis virtute satiaſti, Beata Johanna Francisca intercedente, facias terrena despiciere, & te solum Deum pura mente sectari. Per Dominum &c. in unitate ejusdem Spiritus &c.

Die XXVII. Augusti.

IN FESTO

S. JOSEPHI CALASANCTII CONFESSORIS.

INTROITUS Ps. 33.

Venite filii, audite me, timorem Domini docebo vos.

Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo. Gloria Patri &c. Venite filii &c.

OREMUS.

Deus, qui per sanctum Josephum Confessorem tuum ad erudiendam spiritum intelligentiæ, ac pietatis juventutem novam Ecclesiæ

tuæ subsidium providere dignatus es; præsta quæsumus, nos ejus exemplo, & intercessione ita facere, & docere, ut præmia consequamur æterna. Per Dominum &c.

Lectio Libri Sapientiæ,

Cap. 10.

Justum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi Regnum Dei, & dedit illi scientiam Sanctorum, honestavit illum in laboribus, &

comple-

complevit labores illius. In fraude circumventium illum adfuit illi, & honestum fecit illum. Custodivit illum ab inimicis, & a seductoribus tuavit illum; & certamine forte dedit illi, ut vinceret, & sciret, quoniam omnium potentior est Sapientia. Hæc venditum justum non dereliquit, sed a peccatoribus liberavit eum, descenditque cum illo in foveam, & in vinculis non dereliquit illum, donec afferret illi sceptrum Regni, & potentiam adversus eos, qui eum deprimebant: & mendaces ostendit, qui maculaverunt illum, & dedit illi claritatem æternam Dominus Deus noster.

Graduale. Ps. 36. Os justum meditabitur sapientiam, & lingua ejus loquetur iudicium.

Verf. Lex Dei ejus in corde ipsius, & non supplantantur gressus ejus. Alleluja, Alleluja.

Verf. Jacob. cap. 1. Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ. Alleluja.

Post Septuagesim. omittitur Alleluja, & versu sequenti, dicitur Tractus.

Ps. III. Beatus vir, qui ti-

met Dominum, in mandatis ejus cupit nimis.

Verf. Potens in terra erit semen ejus, generatio rectorum benedicetur.

Verf. Gloria & divitiæ in domo ejus, & justitia ejus manet in sæculum sæculi.

Tempore Paschali omittitur Graduale, & ejus loco dicitur: Alleluja, Alleluja.

Verf. Jacob. 1. Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ. Allel.

Verf. Eccl. 45. Amavit eum Dominus, & ornavit eum, stolam gloriæ induit eum. Alleluja.

† Sequentia S. Evangelii secundum Matthæum.

Cap. 18.

In illo tempore: Accesserunt Discipuli ad Jesum dicentes: quis putas, major est in Regno Cœlorum? Et advocans Jesus parvulum statuit eum in medio eorum, & dixit: Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in Regnum Cœlorum. Quicumque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in Regno Cœlorum, & qui susceperit unum

F 2

parvu-

parvulum talem in nomine meo, me suscipit.

Dicitur Credo.

Offertorium. Ps. 10. Desiderium pauperum exaudivit Dominus: præparationem cordis eorum audivit auris tua.

Secreta.

Altare tuum, Domine, muneribus cumulamur oblati; ut ejus nobis fiant supplicatione propitia, cujus nos

donasti patrocínio adjuvari. Per Dominum &c.

Communio. Marci C. 10.

Sinite parvulos venire ad me, & ne prohibueritis eos: talium est enim Regnum Dei.

Postcommunio.

Sanctificati, Domine, salutari mysterio quæsumus, ut intercedente sancto Josepho Confessore tuo ad majus semper proficiamus pietatis incrementum. Per Dom. &c.

Die XVIII. Septembris.

IN FESTO

SANCTI JOSEPHI a CUPERTINO CONFESSORIS.

INTROITUS.

Dilectio Dei honorabilis Sapientia: quibus autem apparuerit in visu, diligunt eam in visione, & in agnitione magnalium suorum.

Psal. Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum: Concupiscit anima mea in atria Domini. Gloria Patri &c.

ORATIO.

Deus, qui ad Unigenitum Filium tuum exaltatum a terra, omnia trahere disposuisti: perface propitius; ut meritis & exemplo Seraphici

Confessoris tui Josephi, supra terrenas omnes cupiditates elevati, ad Eum pervenire mereamur, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus: per omnia.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Corinthios.

Fratres, si linguishominum loquar, & Angelorum, Charitatem autem non habeam; factus sum velut æsonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, & noverim Mysteriorum omnia, & omnem scientiam, & si habuero omnem

fidem;

fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Charitas patiens est, benigna est; Charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non agit malum: non gaudet super iniquitate, congraudet autem veritati; omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Charitas nunquam excidit, sive prophetiæ evacuabuntur, si ve linguæ cessabunt, si ve scientia destruetur.

Graduale. Domine prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Vitam petiit a te, & tribuisti ei longitudinem dierum in sæculum, & in sæculum sæculi. Alleluja, Alleluja. Oculus Dei respexit illum in bono, & erexit eum ab humilitate ipsius, & exaltavit caput ejus. Alleluja.

† Sequentia .j. Evangelii secundum Matthæum.

In illo tempore: loquebatur Jesus Principibus Sacerdotum, & Pharisæis in parabolis, dicens: Simile factum est Regnum Cælorum homini Regi, qui fecit nuptias filio suo. Et misit servos suos vocare invitatos ad nuptias, & nolebant venire. Iterum misit alios servos suos, dicens: dicite invitatis, ecce prandium meum paravi, Tauri mei, & altilia mea occisa sunt, & omnia parata, venite ad nuptias; illi autem neglexerunt, & abierunt, alius in villam suam, alius vero ad negotiationem suam, reliqui vero tenuerunt servos ejus, & contumeliis affectos, occiderunt. Rex autem, cum audisset, iratus est, & missis Exercitibus suis perdidit homicidas illos, & Civitatem eorum succendit. Tunc ait servis suis: nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui invitati erant, non fuerunt digni. Ite ergo ad exitus viarum, & quoscunque inveneritis, vocate ad nuptias. Egressi servi ejus in vias, congregaverunt omnes, quos invenerunt, malos, & bonos, & impletæ sunt nuptiæ discumbentium. Intraivit autem Rex, ut videret discumbentes; & vidit ibi hominem non vestitum veste

G

nuptiali,

nuptiali, & ait illi: Amice, quomodo huc intraſti, non habens veſtem nuptialem? at ille obmutuit. Tunc dixit Rex Miniſtris: ligatis manibus, & pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores; ibi erit fletus, & ſtridor dentium. Multi enim ſunt vocati pauci vero electi.

Offertorium. Ego autem, cum mihi moleſti eſſent, induebar cilicio; humiliabam in jejunio animam meam & oratio mea in ſinu meo convertetur.

Secreta.

Laudis tibi, Domine, hoſtias immolamus, in tuorum Commemoratione San-

ctorum, quibus nos & præſentibus exui malis confidimus, & futuris. Per Dominum &c.

Communio.

Ego ſum pauper, & dolens: ſalus tua Deus ſuſcepit me. Laudabo nomen Dei cum cantico: & magnificabo eum in Laude.

Postcommunio.

Reſecti cibo, potuque cœleſti, Deus noſter, Te ſupplices exoramus, ut in cujus hæc Commemoratione percepimus, ejus muniamur & precibus. Per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum Filium tuum: qui tecum &c.

Die XX. Oſtobris.

IN FESTO

**SANCTI JOANNIS CANTII
CONFESSORIS.**

INTROITUS Eccl. 18.

Miſeratio hominis circa proximum ſuum: miſericordia autem Dei ſuper omnem carnem. Qui miſericordiam habet, docet, & erudit, quaſi paſtor gregem ſuum

Pſ. 1. 1. Beatus vir, qui non abiit in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſte-

tit, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit.

Gloria Patri &c.

Miſeratio hominis &c.

ORATIO.

Da, quaſumus, omnipotens Deus, ut S. Joannis Confessoris exemplo in ſcientia Sanctorum proficientes, atque aliis miſericordiam exhibentes, ejus meri-

tis

tis indulgentiam apud Te conſequamur. Per Dominum noſtrum &c.

Commem. Dominicæ.

Lectio Epistolæ B. Jacobi Apostoli. **Cap. 2.**

Sic loquimini, & ſic facite, ſicut per legem libertatis incipientes judicari. Judicium enim ſine miſericordia illi, qui non facit miſericordiam: ſuperexaltat autem miſericordia judicium. Quid proderit, Fratres mei, ſi fidem quis dicat ſe habere opera autem non habeat? Nunquid poterit fides ſalvare eum? Si autem frater, & ſoror nudi ſint, & indigeant victu quotidiano: dicat autem aliquis ex vobis illis: Ite in pace, calefacimini, & ſaturamini, non dederit autem eis, quæ neceſſaria ſunt corpori, quid proderit? Sic & fides, ſi non habeat opera, mortua eſt in ſemetipſa.

Graduale Pſ. 106. 8. Conſiteantur Domino miſericordiæ ejus; & mirabilia ejus filiis hominum.

Verſ. Pſ. 106. 9. Quia ſatiavit animam inanem, & animam eſurientem ſatiavit bonis. Alleluja, Alleluja.

Verſ. Prov. 31. 20. Manum ſuam aperuit inopi, & pal-

mas ſuas extendit ad pauperem. Alleluja.

† Sequentia S. Evangelii ſecundum Lucam. **Cap. 12.**

In illo tempore dixit JEſus Diſcipulis ſuis: ſint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris, & vos ſimiles hominibus expectantibus Dominum ſuum, quando revertatur a nuptiis, ut cum venerit, & pulſaverit, conſeſtim aperiant ei. Beati ſervi illi, quos cum venerit Dominus, invenerit vigilantes, amen dico vobis, quod præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis. Et ſi venerit in ſecunda vigilia, & ſi in tertia vigilia venerit, & ita invenerit, beati ſunt ſervi illi. Hoc autem ſcitate, quoniam ſi ſciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret utique & non finiret perfodi domum ſuam. Et vos eſtote parati, quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet.

Offertorium Job. 29. 14.

Juſtitia indutus ſum; & venitivi me ſicut veſtimento, & diademate, iudicio meo; oculus fui cæco, & pes claudus: Pater eram pauperum.

G 2

Secreta

SECRETA.

Has, quæsumus, Domine hostias S. Joannis Confessoris tui meritis benignus adsume, & præsta, ut te super omnia, & omnes propter te diligentes, corde tibi & opere placeamus. Per Dominum nostrum &c.

Communio Luc. 6. 38.

Date & dabitur vobis, mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, &

supereffluentem dabunt in sinum vestrum.

Postcommunio.

Pretiosi Corporis, & Sanguinis tui Domine pasti deliciis, tuam supplices deprecamur clementiam, ut S. Joannis Confessoris tui meritis, & exemplis, ejusdem charitatis imitatores effecti, consortes simus & gloriae. Qui vivis &c.

Die XV. Novembris.

IN FESTO

S. GERTRUDIS VIRGINIS & ABBAT.

Ordinis Sancti Benedicti.

Missa. Dilexisti. de Comuni Virginum.

ORATIO.

Deus, qui in corde beatæ Gertrudis Virginis, jucundam tibi mansionem præparasti; ipsius meritis

& intercessione cordis nostri maculas clementer absterge, & ejusdem tribue gaudere confortio. Per Dominum nostrum JESUM Christum Filium tuum: qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus sancti Deus &c.

